

Tunc mortus morsus prædictus voce prophetæ <sup>a</sup>  
 Exstitit, et partem rapuit, partemque reliquit.  
 Primus et ad vitam devicta morte triumphans,  
 Ter redeunte die, post hæc surrexit ab umbris  
 Christus, et e tenebris lumen resplenduit orbi.  
 Ut sol post tenebras consurgit luce coruscus,  
 Condere quem densæ nunquam potuere tenebræ.  
 Sic chaos exsuperans Christus, de morte migravit,  
 Atque pium celebri cum nomine Pascha sacravit.  
 Quo transivit enim lux est, et vita perennis,  
 Dans formam nobis tenebris exsurgere posse,  
 Si tamen illius celebremus dogmatis horam,  
 Lumine quam lunæ numero signavit et almo.  
 Inferiora legas, si vis hæc carmina nosse.

*Explicatio mystica Paschatis et ejus dierum.*

Perfice nunc mecum cœlestis gratia carmen  
 Æterni fontis, ciphri paschalis, et horæ.  
 Nunc audi, frater, quæ sit displosio nodi.  
 In gemina specie lunæ distinguitur orbis,  
 Scilicet obscura, clarique fugante tenebras.  
 Dicitur hac specie pars terræ, parsque polorum.

*Luna hominis figura.*

Effigies hominis, manibus plasmata creantis.  
 Hactenus et terris conversum lumen ad illum  
 Vertere luna monet, quæ dum sua lumina terris  
 Volvit et ad cœlum, tenebris obducta tenetur.  
 Dat hominis formam, qui dum terrestria quærit,  
 Ingenii lumen terras convertit ad imas :  
 Excipit et vulgi gaudens dum murmure laudes,  
 Dispectus cœlo, tenebris obductus habetur.

*Celebratio Paschæ prohibetur ante lunam xv.*

Interea minimum poterit solemnus haberi,  
 Bis etenim septem glomerata fronte diebus  
 Evomit in terris lumen mirabile luna,  
 In quibus est vetitum sanctum solemne requiri.  
 Qui duo, quæ Christum præcedunt tempora signant,  
 Ante datam legem primum, sub lege secundum.  
 Per quæ terrigenæ peccati pondere pressi  
 Ingenium vitæ sibimet conferre volentes,  
 Indigni cœlo, tenebris mersere senectam,  
 Morte nec abjecta, meruerunt cernere Pascha.

<sup>a</sup> Ose. XIII, 14.

A Sed sursum pallens, ut primum condere lumen  
 Cœperit, et terris nigra vilescere forma :  
 Ter septem numerant, quos non excedere soles  
 Sit, sed in his licitum, sanctum solemne requiri.  
 Sic lacrymans, primum cœlo cum vertere vitam  
 Cœperit, et terris vilis despectus et esse.  
 Jam cœlo clarus, ter septem supputet illud,  
 Scilicet in mundo, Christi quo gratia fulget  
 Tempus : et ex toto conversus corde requirat  
 Pascha salutiferum, celebri ratione repertum.  
 Deque tenebrosa saliens caligine noctis,  
 Transeat ad lucem, Christus quam contulit orbi :  
 Ut, tribuente Deo, felix per sæcula vivat.

Perfice nunc mecum cœlestis gratia carmen

B Æterni fontis, ciphri paschalis, et horæ.  
 Auxiliante Deo cujus mihi verba tulisti,  
 Arcanum fidei reserans, sub nomine Paschæ,  
 Explicui : triplum potuique resolvere nodum.  
 Marginis et geminas cecini jam forte figuras,  
 Clara septenis specie qui fulget in ulnis,  
 Ac totidem mixtis variatur cortice nigro.  
 Vos quoque jam fudi, venerabile pignus honoris,  
 Septenis calamis, horis totidemque ter ornans.  
 Hoc fine quisque sitit, frustra contendit ad umbras  
 Æterni fontis, hic est sapientia patris ;  
 Non intrabit enim commercia pectoris atri,  
 Subdita peccatis nec mens amplectitur illam.  
 Spiritus ipse Dei, sed qua dignissimus hospes  
 Expurgans vitiis, septeno munere dotat,  
 C Perpetuoque sibi mensuram dedicat aulam,  
 Hæc sitiens lymphas poterit haurire salubres.  
 Hoc vas quisquis habet, fontis festinet ad undas.  
 Hauriat et sacris fundat libamen in aris.  
 Cursibus æthereis, sonitus fit maximus orbi,  
 Qui tegit hunc sonito, monuit me sensibus imis.  
 Hæc, Audrade, tibi modulari carmine dulci,  
 Pignora chara satis, recinas quæ sæpius oro.  
 Sic quoque felici tractabis gutture fontem  
 Quæsitum, longo certamine, dulcis amice.  
 Maxima dona tibi cœlestis gratia confert.  
 Hæc memor esto mei, sacris cum funderis aris,  
 Obsecro, mi frater, nunc felicissimus esto.

## EXCERPTA LIBRI REVELATIONUM

Quas AUDRADUS MODICUS scripsit anno Christi 853.

(Apud du Chesn., Script. Rer. Franc., t. II, p. 390, ex ms. cod. eruditissimi viri Jacobi Sirmondi.)

### CAPUT VIII.

Et ecce descendens Dominus, et cum eo omnes  
 sancti. Et sedit in confinio ætheris et aeris. Tunc  
 sol obscuratus est tribus continuis diebus, et luna  
 tribus eisdem noctibus, et nullum radium in hoc  
 spatio fuderunt in terram, cum nulla nube tegerentur.  
 Jussitque Dominus ante se venire omnes princi-

D pes Ecclesiarum. Qui mox adfuerunt, et adorave-  
 runt. Cumque benedixisset eos, dixit : Cujus culpæ  
 est, fratres amantissimi, quod sic atteritur et vexatur  
 hæreditas mea, quam redemit Pater sanguine  
 meo? At quidam eorum dixerunt : Domine, culpa  
 regum est. Dixit igitur Deus : Qui sunt hi reges?  
 Non cognovi, non constitui. Responderunt, et cœ-

runt ei : Ludovicus pater eorum. Dixitque Deus : Ubi est ille? Et adduxerunt eum, et dixerunt : Ecce adest. Et dixit Dominus ad eum : Quare posuisti inter filios tuos tantam discordiam, ut ob hoc tam acriter fideles mei vexentur? Respondit ille, et dixit : Domine, ego putans quod filius meus major Lotharius tibi vellet obedire, et secundum tuam voluntatem Ecclesiam tuam regere, constitui illum loco meo ad regendum populum tuum. Sed postea videns eum in superbia contra te erectum, et nolle acquiescere ut secundum te gubernaret plebem tuam, submovi eum, et parvulum quem dedisti mihi nomine Carolum videns humilem et obedientem, intellexi dona misericordiae tuae in eo esse, et ideo constitui eum loco majoris, ut humilis semper et obediens secundum tuam voluntatem serviret tibi in ministerio gubernationis populi tui. Respondit Dominus, et astantibus sibi dixit : Certe verum dicit, majorem propter superbiam a regno removeve voluit, minorem propter humilitatem et obedientiam regnare constituit. Ubi sunt? inquit. Qui protinus adducti sunt ante eum. Et ait Dominus : Lotharius quia dixit, Ego sum, dejiciatur. Carolus propter obedientiam et humilitatem stabiliatur. Quid, inquam, de tertio? Et dixerunt quidam de astantibus : Domine, arma movit in patrem. Cumque gravis sententia de illo jam immineret, alii de astantibus dixerunt : Domine, opus bonum inventum est in eo. Nam licet multi ejus causa de tuo sint assumpti servitio, tamen ille studet ut de alienigenis loco eorum tibi alios acquirere subroget. Et ait ad hæc Dominus : Lotharius, quia opus bonum inventum est in eo, stabiliatur et ipse.

#### CAPUT IX.

Veniant igitur ante me, et inibo fœdus cum eis, quod non liceat violari. Tunc jussu Dei adductus est et Ludovicus Italarum rex, filius Lotharii, et statuti sunt hi tres ante Deum. Et dixit Dominus Carolo : Tu puer meus, si humilis et obediens fueris, et permanseris coram me, et Ecclesias meas restitueris in statum suum quo ordinavi eas, et unicuique ordini congruum suae religionis restitueris caput, et ordini unicuique propriam legem tenere feceris, et a rapinis et deprædationibus et ecclesiarum violationibus omnem populum qui tibi committitur cessare feceris, et unicuique homini justitiam servaveris, et corde bono et optimo voluntatem meam semper secutus fueris, ecce do tibi sceptrum regni et coronam : et ut inter te et fratrem tuum Ludovicum Germanorum regem pax sit perpetua, et ipsa, qua partitum est regnum inter vos cum fugarem ante faciem vestram Lotharium, erit divisio regnorum vestrorum, nec tuus in partem Lotharii, nec ejus in partem tuam processus. Et tu, Ludovice, in sermionibus istis eundem habes mecum pactum firmatum. Similiter et tu, alter Ludovice, Italarum rex. Et inter vos tres pax perpetua in his verbis et in hoc pacto maneat. Et ob hoc quod mihi in hunc modum servieritis, do tibi, Carole, ut Hispanias, duce beato

A Martino principe, liberes ab infidelibus, et tuo regno ad honorem nominis mei secundum libertatem fidelium meorum consocias. Nec gens Scytharum, quæ regnum tuum immodice affligit, contra te tuumque regnum prævaleat, et falsi fratres ac rebelliones tui regni ante faciem tuam velut fumus ante faciem venti deficiant. Tibique tui filii et nepotes, si hoc pactum servaverint, succedendo feliciter, donec in eo coram me steterint, in regnum succedant. Verumtamen quia Ecclesias de suo statu submovere non timuisti, et propter te tantum malum affligit Ecclesiam meam, scias te sequenti anno in hoc ipso mense qui nunc est, Britanniam venturum, ibique ita ab inimicis tuis dehonelandum, ut (f. add. vix) vivus evadas. Ibique morietur perfidus et nefandus Vivianus, qui non extimuit conculcare nobilitatem Ecclesiarum mearum, abbatem se glorians monasterii beati Martini et cæterorum. Devorabunt enim idcirco carnes ejus feræ silvarum. Similiter et cæteri multi corruent, et tu, ut dixi, difficulter evades. Si quidem noli tunc desperare de recuperanda salute, sed quascunque Ecclesias eo bello delibera-vero, restitue in statum suum, et ego tibi omnes alias quæ sunt in regno tuo deordinatæ, consequenter delibero. Vide tu omnimodis ut neque pro aliqua ambitione, aut pristina temeritate, iterum a suo ordine vel statu eas amplius removeas, si pactum meum quod hodierna die tecum pepigi vis inviolabile permanere. Quod si hoc tu non servaveris, nec verba pacti mei tibi se conservabunt. Et tu, Ludovice Germanorum rex, accipe sceptrum regni et coronam hanc in firmamento pacti hujus. Quod si conservaveris, duce beato Paulo principe, erit in gentes quæ sunt adhuc infideles apud Germanias felicissima dilatio tua. Si autem tu hoc non servaveris, nec pactum meum quod ego tecum pepigi stabile manebit. Tu autem, Ludovice Italarum rex, accipe sceptrum regni et coronam hanc in firmamento pacti hujus. Quod si servaveris, duce beato Petro principe, erit contra gentes quæ opprimunt regnum tuum, felicissima extensio tua. Sin autem, mutabitur et istud. Hi enim tres principes, quos duces et adjuutores cum exercitibus suæ societatis vobis dedi, ab imminente damnatione mundum suis inæstimabilibus precibus modo eripuerunt. Sine quorum ut ordinavi ducatu et protectione, nulla vestris congressibus cedit prosperitas. Servantibus quoque vobis, ut dixi, pactum hoc, quod hodie solemniter vobiscum pepigi : tunc hi duces et coram me vestram vestrorumque regnorum causam semper peragent, et quocunque, sive ad bellum, sive ad pacem, processeritis, vestri vestrorumque duces optatissimi et invicti protectores erunt. Hæc complens Dominus ordinavit in omnibus Ecclesiis principes sive pastores suæ bonæ voluntatis, dans finem his qui falso vocabulo censentur pastores. Similiter capita plebium universorum Christianorum. Et benedixit mundum dicens : Quia pro iniquitatibus hominum modo quasi jam damnatus omnibus elementis

appares, nunc accipe benedictionem meam et esto fecundissimus hoc anno sequenti, ut nulli dubium maneat quin ego his tribus diebus, quibus solis et lunæ radii se absconderunt, visitaverim Ecclesiam meam, ejusque causam disposuerim. Factumque est. Et hæc percomplens Dominus, ascendit super omnes cœlos in dextera Patris. Venit quoque anniversarii dies, et sermo Domini completus est in Carolum et exercitum ejus. Namque Vivianum ab hostibus interfectum devoraverunt feræ silvarum, et multæ Ecclesiæ ab oppressoribus suis, ut Dominus prædixerat, eo bello sunt deliberate. Mandaverat hoc legatus Ecclesiarum Carolo regi per Rothbernum quemdam cubicularium regis, et omnem textum narrationis exposuerat: quod rex obedire neglexit, sed inhonestissime a Britannia reversus, non restituit Ecclesias in ordine suo. Quamobrem adduxit Nortmannos in Gallias Deus, qui eas terramarique vastarent, et immanitas omnium malignantium velut ira Dei cœpit undique in partem horum regum effervesce. Tunc legatus Ecclesiarum tribus diebus et noctibus continuis, tertio sine cibo et potu, coram Deo permansit, orans ut miseretur populo suo, et non subtraheret inducias datas. Qui iterum flexus ad pietatem misertus est, et utcumque ex parte mitigavit iram furoris sui, sustinens adhuc Induciarum spatium.

## CAPUT XV

Et factum est anno 853, hoc est Induciarum nono, tertio mense, iterum evocavit me rex Carolus ad se. Et cum principibus Ecclesiarum, testibus Wanilome, Hincmaro, Amalrico, Leopærdulo, venerabilibus archiepiscopis, presente Christianissima regina Ermengrude, cœpit percontari de his omnibus, vel si in aliquo potuissem deprehendi mendacio sciscitari. At ego in sermone Domini iterum illi ut supra scripta sunt omnia enarravi. Qui cœpit iterum atque iterum promittere quod infra duos menses sancti Martini ecclesiam, seu cæteras, quæ videbantur aperte, in suo ordine restituisset: quod non adimplevit. Sed ad provocandam adhuc iram Omnipotentis, accessivit quemdam diaconum, nomine Burchardum, qui erat e partibus Lotharii regis, et commendavit illi Ecclesiam Carnutensium, ut esset in ea pontifex; ac si nullum in regno dignioris nominis clericum invenire potuisset. Et dixit Weniloni Senonum archiepiscopo, ut eum ordinaret episcopum. Vocavit autem me idem archiepiscopus, et dixit: Scio ad iram Dei provocandam regem nostrum Carolum egisse, ut Burchardum a partibus Lotharii evocaret, et pastorem Ecclesiæ constitueret. Nam de eo per universas regni hujus ecclesias... fama et dictu horribilis divulgata est. Sed si esse posset ut Dei iracundia non provocaretur, quia apud sæculi causam strenuus esse dignoscitur, rogo te omnimodis ut ores Deum, quatenus dignetur tibi ostendere, si esse possit ullo modo, ut secundum ejus voluntatem idem Burchardus fieri mereatur episcopus.

Nam ego, si esse posset, satis hoc vellem. Est enim mihi consanguineus. Ago ergo ut moneo, et si aliquid inde dignatus fuerit ostendere tibi Deus, non abscondas a me illud, in fide Dei te obtestor. Cumque orarem solito pro fratrum salute, etiam et pro supradicto negotio, ecce Dominus dignatus est me audire, et descendens de cœlo lumine suo circumfulsit me in loco quo eram orans, et dixit: Maledicta dies qua erit Burchardus episcopus. Et hæc dicens, in cœlum rediit. Unus autem ex angelis qui cum eo venerant, ad dexteram mihi remansit, et ait: Nosti quid dixerit Dominus? Et aio: Domine, apertius scire vellem. At ille dixit: Omnibus diebus, quibus fuerit Burchardus episcopus, stillabit ira Dei super omnes ecclesias usque ad ruinam illarum. Idcirco excommunicando prohibet ordinatorem ejus Altissimus, ne imponat illi manus in benedictione episcopali. Et hæc dicens, Dominum secutus est. Ego autem adorans et gratias agens, retuli universa archiepiscopo meo, qui mox scriptum misit oraculum istud regi Carolo. Et ego conventui episcoporum, qui ob hoc Senonas convenerunt, monente jam dicto archiepiscopo, retuli illud. Qui primo quidem noluerunt ordinare episcopum eundem Burchardum, tam evidens Dei oraculum pavescentes. Sed imperium regis postea, et multorum episcoporum ac principum regni consensus prævaluit, et mense quarto anni Induciarum noni, ordinatus est episcopus. Cujus ordinationem aperte ira Dei mox secuta est, et sequenti mense per totum mundum vento urente percussæ sunt vineæ, tempestates et tonitrua et pericula cœlitus ultra quam dici possit emissa. Eodemque anno Nortmanni per Ligertis alveum ascendentes monasterium sancti Martini Turonense, et basilicam ejus toto orbe venerabilem, nullo obstante, mense nono incendunt. Corpus autem beati domini Martini clerici ejus inde fugientes secum portaverunt in monasterium monachorum quod dicitur Cormaricus, eidem sancto subjectum. Tunc pactum quod pepigerat Christus cum regibus irritum factum est, quia non ad emendationem se ullo modo, sed apertissime ad provocandam super se magis iram Dei omnipotentis converterunt. Idcirco et omnis pax rupta est, et omne malum iterum ceu reviviscens super omnes ecclesias velut intolerabilis maris procella, superinundavit; ut nulli dubium esse posset fideli aut infideli ira Dei cœlitus Ecclesias omnes et totum mundum undique et ubique conquassari. Tunc maxima pars legationis meæ irrita facta est, et omnis confusio et maledictio cœpit superinundare.

## CAPUT XVIII.

Audi me, frater. Hic est fons, de quo multo labore et studio edidisti venerabilem librum quem bene titulasti de Fonte vitæ. Et dixit mihi doctor: Recognosce scyphum istum: de eo quidem carmina clara in memorato Libro vitæ fontis composuisti.

## CAPUT XXIV.

Et tunc cœpit (Deus Pater scilicet) a principio

universa docendo repetere, dicens: In die, Fili, A qua secundum tuam humanitatem resurrexisti a mortuis, postulasti a me omnipotente Patre tuo, omnipotens Fili, mihi per omnia coequalis, et consubstantialis, et dei tibi gentes in hereditatem. Et nunc vides quomodo quos redemisti te deserunt, et contra te, qui te cognoverunt et adorare didicerunt, arma tyrannica cum sacramento militari partis adversae sumere non sunt veriti. Ego quidem, Fili, multas inducias, te volente, ut ab hac nequitia penitendo resipiscerent, pro eis me aequae et te, ac Spiritum nostrum a te meae aequae procedentem, nobisque per omnia coequum et consubstantialem, exorantibus sanctis tuis illis concessi: quas neglexerunt, et in superbia omnia haec pro nihilo duxerunt. Auxeruntque potius sibi opera nequitiae, et absque B

ulla poenitentia in eis perdurant. Cumque in hoc crebro ab illis dispectus afficerer taedio, evaginavi gladium meum ut interficerem eos, et quantae infelicitatis essent, ac quantae apud me dejectionis, ostendens, diem sanctissimum et celeberrimum Paschae ritu pagano in medio eorum apud urbem Parisiacam maculari permisi; ut vel sic experirentur mortem sibi instare viciniam, qui Pascha sacrum in celeberrimis suorum locorum basilicis digni celebrare minime viderentur. Sed illi mente superba in suis sceleribus obstinatissime obduruerunt, et ego exurrexi in ira ut delerem eos omnes. Sed tu continuisti me, et has decennes inducias voluisti illis mecum inseparabilis voluntas ad poenitentiam adhuc dare, etc.

ANNO DOMINI DCCCLVI.

# ALDRICUS CENOMANENSIS EPISCOPUS.

*Le Mans*

## GESTA ALDRICI

A DISCIPULIS EJUS SCRIPTA.

(Apud Baluz., Miscellanea historica, tom. I.)

### I.

Domnus Aldricus Cenomanicae urbis episcopus, natione patris ex parte Francus sive Saxo, matris quoque ex parte Alamannus atque Bajuvarius. Pater ejus nominabatur Sion, mater quoque ejus Gerildis. Praedictus ergo episcopus regia ex progenie ortus atque aliis nobilissimis parentibus est procreatus. Ab infantia autem cum episcopis enutritus atque ab eis nobiliter et sapienter est instructus; ecclesiasticis quoque disciplinis voluntarie se submitbens, ordinabiliter congruenterque est inconnexus. Jam enim duodecim annos habens, a jam dicto patre suo ad palatium deductus est, et glorioso Carolo Francorum regi atque domino Ludovico ejus filio honorifice commendatus, et ab eo est decenter susceptus. Ipse videlicet omnibus bonis moribusque dulcibus ornatus, omnia omnibus factus est, et tam regi quam omnibus ejus optimatibus et regi famulantibus, Domino annuente, placere meruit. Per diem itaque regi et fidelibus suis amabiliter militans, Domino autem nocte et secrete totis nisibus et vigiliis atque orationibus serviens, gratiam divinam meruit assequi. Sed sollicita evenerat ut quandocunque locus ei eveniret, in ecclesia Sanctae Mariae quae est constructa in Aquisgrani palatio secrete psalmos decantaret et orationes faceret. Quadam autem die in praedicta ecclesia Sanctae Mariae in sinistra parte altaris

C secrete psalmos suos cantans, instinctu divino corde admonitus est ut militiam saecularem dimitteret et Domino solummodo famulari studeret. Ipse quoque adhuc tenerae aetatis erat atque pube tenus. Tunc primo is. se incipiebat, timens valde ne hoc illi diabolica ex parte suggereretur, obnixè Deum deprecatus est ut, intercessione beatae Mariae, in cujus ecclesia orabat, si divinitus jam dicta voluntas in ejus corde versaretur, manifestum ei pro sua misericordia faceret; sin autem diabolica immissio esset, similiter et hoc illi notum faceret. Totis itaque nisibus et flectendo genua, pectusque tundendo, ante praedictae sanctae Mariae aram deprecatus est ut Domini ex hoc meruisset facere voluntatem, ut diabolus eum seducendi nullum locum haberet. Ipse enim divinitus in antedicta bona voluntate confortatus et firmiter subjugatus est et plenius corroboratus. Deinde coepit toto corde rogare Deum ut si diaboli esset exhortatio, recederet ab eo, et si divina esset gratia, pleniter eam secundum Dei voluntatem adimplere meruisset. In hac autem intentione ferme dimidium annum corde angens, angelica et divina confortatione suffultus, ad regem deprecaturus accessit ut saecularem militiam dimittere ei liceret et militiam spirituali se conjungere atque eum Domino famulari permitteret. Nullo tamen nisi tantummodo uno Deum timenti amico suo et charissimo familiari hoc confessus est, timens quippe